



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia  
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute  
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1625**

XII. Quæ forma seruanda sit, vt professio validè, & rectè fiat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

est potestas in Episcopo ex dignitate, vel munere Episcopali, sed ab extrinseco delegante, quae delegatio alteri, qui non sit Episcopus, etiam fieri posset: nam Episcopalis dignitas non est etiam necessaria conditio, ut persona sit capax huius commissionis, seu delegationis, nullo enim iure vel ratione hoc probari potest. Vnde Innocent. Panormit. & alii in dict. cap. *porrectum*, generaliter dicunt professionem debere admitti ab eo qui potestatem habet incorporandi religioni, vel ab alio de licentia eius, siue ille alius Episcopus sit, siue non.

6.  
Speciale  
dubium  
circa rati-  
habiti-  
onem.

Adiungunt denique Syluest. verb. *religio* 3. & Angeli verb. *Professio*, si Episcopus quamvis non habeat facultatem à praelato religionis, nihilominus non suo, sed nomine ipsius praelati, & sub spe ratihabitationis eius professionem admittat, illam esse validam, ratihabitione secuta. Ego vero existimo talem professionem nullius esse momenti, quatenus sub spe ratihabitionis de futuro facta est. Nam in primis certum est pro illo tempore, pro quo nondum est ratihabitione exhibita à praelato habente potestatem, nullam esse, nec constituere illam personam in statu religioso, ita ut si interim dum accedit consensus praelati matrimonium contrahat, factam teneat, quia persona non manet inhabilis ex vi illius professionis, cum reuera traditio eius non fuerit acceptata ab habente potestatem. Et ita fatentur etiam praedicti Doctores, solum enim aiunt talem professionem incipere esse validam post ratificationem, & non antea. Hinc autem ulterius fit, ut secuta ratihabitione superioris, necessaria sit iteratio consensus ex parte profitentis, ut professio valida esse incipiat. Probat, quia prior consensus non fuit validus, neque habuit effectum: ergo ut professio incipiat esse valida, necessarius est novus consensus profitentis. Responderi vero potest, quamvis prior consensus non fuerit statim efficax, non tamen fuisse omnino invalidum, sed fuisse ad modum consensus conditionati, qui suspensus manet quandiu conditio non est impleta; illa autem posita transit in absolutum, & statim habet effectum sine nouo consensu. Ita enim in praedicto casu, qui proficitur consentit professioni, sub ea conditione expressa, vel tacita, si praelatus, qui potestatem habet admittendi, eam ratam habuerit, & ideo adimpleta conditione non videtur necessarius novus consensus.

7.

Sed licet hoc probabiliter defendi possit, nihilominus probabilius existimo quod dictum est. Et in primis pro certo habendum est, necessarium esse, ut talis persona non reuocet consensum, nam si eam ponit ratam professionis factae, & nolit illa ligari, quantumvis praelatus eam ratam habeat, profecto ratihabitione postea subsecuta nullum habebit effectum, quia eo tempore quo illa exhibetur, & quo professio deberet incipere esse valida, non inuenit permanentem consensum alterius partis, sine quo non potest hoc mutuum vinculum perfici. Sicut in matrimonio sub conditione contracto, si ante conditionem impletam, alter contrahentium reuocet consensum, licet postea conditio impleatur, non perficitur matrimonium, quia prior consensus sub conditione prestitus per contrarium consensum absolutum reuocatus, non potest habere vim, & efficaciam ad perficiendum contractum: igitur necessaria saltem est moralis perseverantia in priori voluntate. Deinde necessarium etiam est, ut de hac perseverantia exterius constet, nam interior consensus non sufficit ad humanum contractum perficiendum, nisi de illo sufficienter constare possit, eo tempore quo perficitur contractus; hoc autem est moraliter irritare consensum, siue id fiat per expressum signum

perseuerandi in priori voluntate, siue per tacitum. Quod ita declaro, quia in illo casu, etiam si praelatus religionis, suum praebendo consensum ratam habuerit professionem, non statim incipit professio esse valida, donec profitenti de tali ratihabitione constet: vel ergo tunc ipse retrocedit, & sic non perficitur professio, vel consensit saltem tacendo, & tacite approbando, & hoc perinde est ac si de nouo professionem emitteret. Denique in re tam graui non videtur admittendus talis modus professionis tanquam validus, etiam sub conditione praedicto modo explicata, cum ex parte admittentis nulla supponatur potestas, alio qui posset professio fieri, non solum in manu Episcopi, sed etiam cuiuscumque alterius priuatae personae, sub spe talis ratihabitionis, quod concedere planè absurdum est: talis ergo professio nullam vim habet traditionis, nec potest huiusmodi traditio esse suspensa. De quo plura dicam cap. seq. An vero ex tali professione relinquatur aliqua obligatio saltem promissionis simplicis, dicam cap. seq.

Ultimo ergo necessarium est, ut is qui ex parte religionis professionem acceptat, praeter potestatem habeat etiam liberam voluntatem acceptandi, & obligandi religionem eo modo, quo obligari debet. Probat, quia professio non consistit in potentia, sed in actu humano, & voluntario. Item, quia professio est, seu fit ad modum cuiusdam contractus humani, qui mutuo partium consensu perficitur. Vnde fit si praelatus, qui professionem admittit, licet exterius eam recipiat, interius non habeat intentionem, illam admittendi, nec voluntatem incorporandi talem personam religioni, professionem non esse validam, ita ut si postea constare possit sufficienter de tali fitione, qui talem professionem emiserat, liberè possit talem statum relinquere, & alium assumere, seu tamen forma iuris, ut id licet fiat. Ratio est, quia eo ipso quod contractus claudicat ex altera parte, est simpliciter invalidus: tunc autem ille contractus ex parte religionis non tenet, neque illam obligat, quia obligari non potuit, nisi per voluntatem eius, cui data est potestas; ille autem voluntatem non habuit, ut in casu supponitur: ergo professio simpliciter non tenet. Quid autem remedi hic adhiberi possit, infra dicitur. Quanta autem libertas ex parte religionis ad hunc consensum requiratur, explicatum obiter est in his quae de libertate profitentis diximus; & ideo de his conditionibus ex parte religionis requisitis nihil amplius dicendum occurrit.

#### CAPVT XII.

##### Quae forma seruanda sit ut professio valida, & recte fiat.

EX causis quae ad professionem possunt concurrere, aut requiri, haec sola superest explicanda, quae rationem causae formalis iuxta materiae capacitatem obtinet; de qua in primis certum est, exterioriorem aliquam formam, quae mutuum consensum religionis & religiosi sufficienter explicet, necessariam esse ut perficiatur professio, & ut vinculum eius confurgat. In hoc conueniunt omnes Doctores, & patet primo ex generali ratione contractus humani, qui licet requirat consensum interiore, non tamen illo solo perficitur, quia sine externis signis non possunt homines inter se mutuos consensum agnoscere, aut acceptare; professio autem, ut diximus licet principaliter contineat obligationem ad Deum, tamen non fit sine aliquo contractu inter homines; ergo non potest fieri sine sensibili signo ad modum matrimonii. Vnde confirmatur secundo, nam hac ratione vobis solenne per se publicum est, ut in superioribus diximus, quia non potest internum, sed exte-

externum esse debet. Atque eadem ratio est de quocumque voto constituto religiofo statum; nam hic status non solum coram Deo, sed etiam coram Ecclesia perficitur, estque peculiaris gradus, seu ordo personarum Ecclesiae uisibilis, & ideo necesse est ut aliqua sensibili forma constituatur, & ita semper est in Ecclesia obseruatum, ut constat ex Dionys. c. 6. de Eccles. Hierarch. & ex alijs, quae in primo & secundo cap. adduxi.

Secundo (quia in praesenti de professione expressa tantum agimus) necessarium est ut hoc signum sit factis expellum, qualis est vox humana: atque ita fieri constituit iuxta communem usum Ecclesiae. In quo tamen solum occurrit obseruandum, ordinarie solum requirit hanc formam, seu expressionem uerborum ex parte proficentis, qui suam oblationem & uota proprijs uerbis solum exprimit. Ex parte autem praelati recipientis, ordinarie nulla uerba requiruntur, sed solum aliquod signum, seu exterior demonstratio, qua significet se acceptare professionem. Vnde in nostra Societate, cum in sp. Constit. c. 3. particularis forma describitur, quam proficere debetis qui professionem emittit, nullum uerbum adiungitur, quod ab acceptante proficendum sit. Et idem ferè colligitur ex Dionysio citato loco, & ex Benedicto c. 58. iurae regale, & ex consuetudine aliarum religionum. Posset autem haec uerborum expressio sufficienter fieri per interrogaciones à praelato factas, quas olim etiam fuisse uittas Dionysius testatur, & tunc in uigore satis esse posset ad professionis ualorem, si proficere annuat, & consentiat, quocumque signo exhibito, ut, v. g. inclinatione capitis, vel alio simili, sicut in matrimonio sufficit: est enim par ratio, ut in praesenti nullum possit ostendi speciale ius quod maiorem expressionem requirit. Quin potius si interrogatio sit factis expressa, huiusmodi assensus sufficiens erit etiam ad professionem expressam, quia illud signum coniunctum tali interrogacioni totam eius significationem induit & participat.

Quaeritur autem potest, an scriptura sit etiam necessaria, vel sufficiens, ut per illam expressa professio fiat. Respondeo quoad priorem partem iure communi non esse uilum scripturam necessarium, sed sufficere ut sola uoce negotium totum transigatur, ut aperte colligitur ex c. *prorectum*, cum similibus, de Regular. Item, quia ex natura rei tale signum necessarium non est, ut per se constat, neque inuenitur aliquod decretum communis iuris quo haec circumstantia praescribatur. Iure autem speciali aliquarum religionum requiritur ut professio in scriptis fiat, ut constat ex regula 58. sancti Benedicti, ubi ordinatur, ut qui proficetur, suam professionem scriptam & conuincatam, seu subscriptam super altari ponat, & in nostra Societate dict. p. 5. Constit. c. 3. postulat, ut uotum scriptum sit, & ex scripto legatur. Quare ubi haec forma uouendi praescripta fuerit, seruanda est, tum ob regulam obseruantiam, tum etiam ad tollendam omnem ambiguitatem. An uero illa circumstantia scripturae essentialis sit, non uidetur posse uerisimiliter definiti: nam licet auctores dicant per quae uerba uerba exprimitur professio sufficere ad ualorem eius, etiam si non seruetur forma in regula praescripta, quia regula ponens talem formam non uidetur ponere illam ut substantialem, ut patet ex Panorm. in dict. cap. *prorectum* n. 3. quem sequitur Angel. uerb. *Professio*, & Syluest. uerb. *religio* 3. q. 18. in fine. licet hoc (inquam) ab his Doctoribus dicatur, & regulariter uerum sit quoties in ipsa regula aliud non explicatur; nihilominus haec limitatio adhibenda est; nam si in regula approbata, & confirmata à summo Pontifice talis conditio expressè ponatur, ut essentialis, talis profectio iudicanda est,

nam iura humana possunt huiusmodi condiciones ut essentielles postulare. Quod quidem in praedicta constitutione Societatis factum esse uidetur, nam cum in dict. c. 3. p. constit. plures circumstantiae proponantur in emittenda professione obseruanda, in declaratione (quae uim etiam constitutionis habet) gl. lit. A. dicitur non omnes illas esse simpliciter necessarias, sed decentes: adiungitur tamen, *illud autem essentialis est, ut publice uotum legatur coram iis, &c.* nam uerbum illud *legatur*, in omni rigore & proprietate praesupponit debere esse scriptum quod legendum est, & ita uidetur mihi omnino obseruandum; nec caetero scrupulo nullitatis si aliter professio fiat.

Atque eodem ferè modo expediendum est alterum membrum, an solum scriptum sufficiat ad professionem etiam expressam. In quo partem affirmantem significat Syluest. uerb. *Religio* 3. in prin. dum ait, professionem expressam fieri uoce, uel scripto: sentit ergo quodlibet ex his signis per se sufficere. Quod quidem, stando in sola rei natura, uel iure communi, mihi uidetur uerum, nam scriptura est tam expressum signum sicut uox: & ideo si ex scriptura ipsa & ex modo exhibendi illam sufficienter constet de persona uouente, & quod illam scripturam exhibeat animo proficendi, & eodem modo ab habente potestatem recipiatur, ex natura rei ad professionem sufficere: & in iure communi nihil amplius reperio, quod tanquam essentialis requiratur. Item, mutus in rigore potest emittere professionem, quam cum non possit uerbo facere, nullo meliori signo potest illam emittere quam aliqua scriptura. Verum est iuxta communem Ecclesiae consuetudinem, legendam esse publice talem scripturam ab ipso proficente si id facere possit, aut sciat, essetque imprudentissimum professionem facere, aut admittere per solum oblationem, uel receptionem scripturae, sine ulla expressione uerborum: maxime si absque ulla necessitate fiat, tum propter communem consuetudinem, ut dixi, tum etiam, quia inde possent oriri dubia, & controuersiae, quae in re tam graui uitanda sunt. Ad id etiam consulenda esse specialia iura religionum, nam interdum potest essentialiter requiri ut uotum non tantum scribatur, sed etiam legatur, ut in praedicta Constitutione Societatis uisum est.

Atque eodem modo respondendum est, si quis interroget, an necessarium sit, ut professio haec coram testibus fiat. In quo etiam nihil inuenio expressè definitum iure communi, aut ab auctoribus uisum, ut satis declaratum. Si autem naturam talis actus attendamus, sine dubio postulat ut coram sufficientibus testibus fiat, ut conuenienter fiat, quia cum per professionem assumatur specialis status Ecclesiae, oportet professionem ita fieri, ut de illa possit Ecclesiae constare. Et ideo sicut matrimonia clandestina semper fuerunt ab Ecclesia improbata, & prohibita propter sacrilegia, & adulteria, quae occasione illorum consequuntur, ita etiam professiones clandestinae, & sine testibus factae, abominandae, & uitandae sunt, quia ex illis etiam sacrilegia, & apostasiae facile sequi possunt, cum Ecclesiae de tali professione constare non possit. An uero professio sic facta inter eum qui potest incorporare, & qui profiteri uult, ualida sit, dubitari potest: sed, ut dixi, nihil inuenio in communi iure decretum, quod illam irritet, unde stando in iure communi apud Deum ualida erit, sicut ante decretum irritans Concilii Trident. matrimonia clandestina ualida erant; consulenda uero sunt particularia iura religionum, quale est illud quod ex constitutionibus Societatis supra citati, in quibus essentialis esse dicitur, ut uota legantur coram iis de Societate, & externis, qui adfuerint.

*Professio in Societate laici necessario debet scribi*

4. *Resolutio ad secundum dubium.*

5. *Dubitatio an requiratur, ut professio coram testibus fiat.*

*Notandum pro Societate laici.*

Imo

Imo Palud. c. 38. q. 2. diuis. 8. dixit expressam professionem debere fieri presentibus duabus partibus conuentus, & maiori parte consentiente, & non debere aliter fieri, nec factum teneri, quod solum erit verum vbi speciali iure talis religionis cautum fuerit.

6.  
Assertio  
tertia duas  
partes in-  
cludens.

Tertio dicendum est, de necessitate huius formæ esse, vt per eam exprimatür obligatio trium votorum cum traditione, seu respectu ad certam ac determinatam religionem. In hac assertione duo continentur: vnum est, vt professio fiat cum sufficienti expressione traditionis & trium votorum: aliud est vt fiat cum respectu ad certam religionem in particulari. De priori parte nihil ferè addendum occurrit his quæ in superioribus dicta sunt, nam ostensum est substantiam professionis tria vota requirere cum traditione: probatum est etiam votum hoc debere esse externum & publicum: ergo necesse est vt signum illud quo fit professio totum illud sufficienter significet. Aduertimus autem supra varias esse formulas profitendi in diuersis religionibus, & in aliquibus non distinctè exprimi singula vota, aut traditionem, vt quid distinctum à votis, sed id non refert, satis enim est quod per modum vnius exprimatür ipsa professio, quæ in sua ratione hoc totum includit, vel tradendo se in monachum, & in fratrem, iuxta cap. *perfectum*, de Regular. vel profitendo talem regulam, vel promittendo obedientiam, aut tria vota secundum talem regulam, vel alio simili modo: nam tunc satis expressè fit professio, quamuis non distinctè explicentur singula, quæ in professione includuntur, non est enim hoc necessarium ad expressam professionem.

7.

Posterior pars satis etiam est certa, sumiturque ex D. Thom. statim citando, & eam tradunt ferè alii auctores supra allegati, & specialiter Angelus verb. *Professio* cum Antonio in cap. *rursus*, qui cler. vel vouent. Nauarr. Comment. 2. de Regular. n. 5. vbi refert Ioan. Andr. communiter receptum in cap. *constitutionem*, de Regul. in 6. & Calder. Consil. 27. de Regul. & probatur primo ex verbis Bonifacii VIII. in cap. vnic. de voto in 6. vbi inquit votum solemnizari per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis. Vbi significat non satis esse profiteri religionem in communi, sed aliquam in particulari ex approbatis. Vnde D. Thom. 2.2. q. 88. art. 7. etiam dixit, votum solemnizari per professionem certæ regulæ: ergo solemnitas voti pendet ex valore professionis: ergo si votum non est per se solenne, nisi coniunctum professioni certæ regulæ, ideo est, quia professio non potest esse valida, nisi fiat incerta, ac determinata religione approbata. Denique hoc videtur satis expressum in cap. vlt. de Religios. domib. ibi, *Quis unque ad religionem conuersus voluerit, vnam de approbatis assumere*. Declaratur etiam ratione ex dictis: nam de ratione validæ professionis est, vt fiat in manibus eius, qui potest incorporare religioni in genere, sed huic, vel illi in particulari: ergo necesse est vt traditio fiat determinando religionem, cui fit. Quin potius si per proportionem ad res physicas, & morales hoc expendamus, videtur repugnare aliter fieri: nam per professionem incorporatur quis, seu vnitur corpori religionis, vt actuale membrum eius: non potest autem membrum particulare vniri realiter corpori in communi, sed certo, ac determinato corpori: nec potest quis actualiter esse ciuis ciuitatis in communi, & nullius in particulari, aut esse seruus hominis, & non huius, vel illius. Quocirca quamuis ponamus aliquem prælatum habere potestatem admittendi professos ad varias religiones, nihilo-

minus quando in particulari aliquam personam admittit, necesse est vt ad aliquam determinaram ex illis religionibus, illam admittat, alias non erit valida professio. Ad quod etiam confirmandum, applicari potest illud axioma, quod actiones versantur circa particularia.

Sed contra hanc partem, vt amplius explicetur, obijci potest primo, quia aliquando est valida professio, & tamen ex illa non oritur obligatio ad determinatam religionem, sed solum ad religionem in communi, vt constat ex cap. *constitutionem*, de Regular. in 6. ergo potest fieri professio cum intentione se tradendi, & obligandi religioni in genere, & non alicui in particulari: ergo si talis intentio per signum expressum profertur, & præcisè significetur, erit valida professio, quamuis non fiat cum respectu ad particularem religionem. Secundo, olim quando fiebat professio religiosa in manibus Episcopi, per eam dedicabatur homo statui religioso in communi, & non huic, vel certæ regulæ, aut religioni in particulari: ergo non repugnat professionem validam fieri ipso modo: ergo si de facto ita fiat in manibus Episcopi, vel alterius potentis incorporare religioni, erit valida professio. Quod argumentum videtur conuincere saltem futuram esse validam professionem sic factam, si in manibus Pontificis fiat, vel alterius de licentia eius, quia ex parte professionis non repugnat, vt ostendit ratio facta, potestas autem in Pontifice deesse non potest. Tertio argumentor, quia non est maior ratio de conseruatione rei, quam de effectiōe; sed religiosus professus potest conseruari in statu religioso, ita vt vere religiosus sit, etiam si non maneat vnitus, & incorporatus alicui religioni in particulari: ergo potest etiam à principio ita fieri religiosus per veram professionem. Minor patet in religioso eiecto per sententiam iustam, & definitiuam, nam ille verus monachus manet, & est certum, & tamen iam non manet verbum illius religionis à qua eiectus est, vt docet Nauarr. Comment. 3. de Regular. n. 44. & 45. quia omnino est præcisus ab illa, nec tenetur ad obedientiam eius, multo que minus est membrum aliarum religionum, quibus nunquam vnitus fuit.

Circa primum argumentum Bart. in c. *quod seruus*. ff. stipulat. seruor. censet aliquem posse esse profectum religionis in genere, & ponitque exemplum in eo qui ante completum annum probationis aliquam ex religionibus mendicantibus proficitur, nam licet illa professio sit inualida respectu talis religionis, iuxta cap. *non solum*, & cap. *constitutionem*, de Regul. in 6. nihilominus est valida respectu religionis in genere. Sic etiam Geminianus in dict. cap. *constitutionem*, cum Lapo dixit, professionem factam in manibus habentis administrationem religiosam, obligare ad religionem saltem in genere, non tamen in specie. Quam sententiam referens Angel. in verb. *Professio*, dicit, esse veram, si ille administrator potest obligare religionem, quam administrat ei, quem recipit. Dico tamen nunquam professionem expressam validam esse, quin obliget ad certam & determinatam religionem, quia vel in principio fit sine habitudine ad certam religionem, & sic est nulla, vt in assertione demonstratum est, & consequenter nec obligat ad certam religionem, nec religiosum simpliciter constituit. Aut professio à principio facta est certæ religioni, & de illa rursus quæro, an fuerit valida vel nulla: nam si fuit valida, ad illam religionem in particulari obligat, in qua facta est; neq; in hoc inuenitur in iure aliqua exceptio, nec per solum discursum rationis fieri, vel potius fingi potest. Si autem fuit nulla, non constituit religiosum, neque obligat per actualem traditionem religioni, aut in communi, aut

8.  
Argumentum  
in con-  
trarium.

9.

ni, aut alicui in particulari. Dico autem, secundum  
*ad eam traditionem*, ut abstinere a quaestione, an  
 professio inualida inducat saltem obligationem voti  
 simplicis religionis, quod est promissio, & non  
 traditio, nam de hoc infra in proprio loco agemus;  
 nunc autem solum tractamus de vinculo professio-  
 nis, quod ex traditione; vel ex voto etiam solemniter  
 datur: & sic manifestum est professionem simplici-  
 ter nullam non posse hoc vinculum inducere, etiam  
 respectu religionis in communi. Quocirca in illo  
 casu, in quo Barol. loquitur, falsum profecto est,  
 per illam professionem constitui verum religiosum,  
 etiam in ordine ad religionem in communi, vt recte  
 notant Nauarr. comment. 3. de Regular. num. 44.  
 Quia in iure illa professio nulla est. Idemque do-  
 cendum est de alio casu, in quo Angel. & alii lo-  
 quuntur: nam vel ille, qui habet administrationem  
 religiosam, habet potestatem incorporandi religio-  
 ni, vel non; si non habet, impertinens est illa admi-  
 nistratio ad effectum professionis, nec ratione illius  
 plus valet, vel obligat professio, quam si nullam ad-  
 ministratiōem haberet: si vero habet dictam pote-  
 statem, professio non ad religionem in communi,  
 sed ad illam in particulari obligabit, cui ille potest  
 incorporare. Quod si circa plures religiones talem  
 potestatem habeat, necesse est vt circa aliquam de-  
 terminatam illam exerceat, alioqui nihil faciet.

In cap. autem *constitutionem*, citato in prima obie-  
 ctione non est sermo de professione expressa, sed de  
 tacita, de qua infra ex professione dicturi sumus. Nunc  
 autem breuiter dicendum est illam per se, & vi sua,  
 si coram Deo vera est, & valida, obligare ad eam re-  
 ligionem in particulari, in qua fit, prorsus enim re-  
 pugnat nunc fieri talem professionem, & non fieri  
 in aliqua determinata religione, quia oportet, vel  
 de se habere professorem alicuius religionis, vel  
 aliquas actiones exercere, quibus animus profiten-  
 di significetur, quæ non possunt non esse determi-  
 nata, & in aliqua certa religione fieri. Ex iuris au-  
 tem benignitate ita acceptatur, vt sic professus pos-  
 sit, si voluerit, ad aliam religionem transire. Cuius  
 retractio, & verus sensus infra tractabitur. Quamdiu  
 vero talis religiosus illa concessione non vitur, verè  
 est ad dictam, & obligatus illi particulari religioni, in  
 qua tacite professus est.

Circa secundam obiectionem, in primis dicen-  
 dum est, non posse esse statum religiosum in re ipsa  
 suo modo existentem, quin sit in aliqua certa specie,  
 eo modo, quo in his rebus moralibus inueniri po-  
 test, quia sicut in naturalibus, etiam in moralibus  
 non potest aliquid in re ipsa existere, aut fieri sine suf-  
 ficienti, hoc est, speciali determinatione, vt in præ-  
 senti necesse est votum castitatis, v. g. esse vel sim-  
 plex, vel solemne; & votum paupertatis habere  
 hunc vel illum modum determinationis ex parte  
 materis, & obedientiam promitti huic, vel illi præ-  
 lato, & successibus eius secundum aliquam cer-  
 tam mensuram, quia sine hac determinatione non  
 potest esse certa, & moralis obligatio. Est autem vl-  
 terius considerandum determinationem hanc pro-  
 fessionis, seclusa ordinatione Ecclesiæ, & stando in  
 solo iure diuino, quoad aliquid posse esse per mo-  
 dum positium, vel solum quasi priuatum: vt, v. g.  
 quod fiat professio in aliqua communitate, & se-  
 cundum certam regulam, vel quod fiat in vita priua-  
 ta in manibus Episcopi, sine determinatione ad cer-  
 tam regulam, vt olim sæpe fiebat in manibus Episco-  
 pi. Tunc ergo (vt obiectioni respondeamus) qui hoc  
 modo professionem emittebat, non manebat obli-  
 gatus alicui religioni, id est, communitati religiosæ,  
 neque alicui regulæ, vel in communi, vel in particu-  
 lari, quia nihil horum promittebat: neque etiam in

statu religioso constituebatur in communi, seu in  
 abstracto, sed in tali modo particulari, in quo pri-  
 uatim viuere licebat secundum obedientiam eius,  
 cui promittebatur, & iuxta intentionem, & finem  
 præstitum ab ipso vouente, iuxta superius dicta de  
 voto simplici obedientia.

Nunc autem ex speciali decreto Ecclesiæ consti-  
 tutum est, vt professio religiosa fieri non possit, nisi  
 in religione approbata, atque adeo in vita commu-  
 ni, & regulari: hæc enim ratione religiosi in iure re-  
 gulares appellantur. Et ideo iam nunc neque Episcopi,  
 neque aliquis infra summum Pontificem, po-  
 test de professione admittere, nisi incorporando  
 profitemem religiosæ communitati. Atque ita suppo-  
 sito hoc iure, euidenter procedit ratio facta, quia iux-  
 ta ordinarium ius Ecclesiæ iam non potest quis ad-  
 mitti ad professionem manens in vita priuata, sed per  
 incorporationem ad religionem aliquam sub com-  
 muni regula approbatam: & ideo fieri non potest ta-  
 lis receptio, neque ab Episcopo, neque ab alio aliquo  
 infra summum Pontificem, nisi in ordine ad certum,  
 & determinatum corpus religionis approbatæ. In  
 summo autem Pontifice secus est, nam ipse potest  
 dispensare in iure communi, & recipiendo profes-  
 sionem eo ipso approbatam statum, & illum vitæ  
 modum in particulari. Vnde si ipse nunc admitteret  
 aliquem ad professionem religiosam sine vnione ad  
 aliquam religionem ex approbatis, sic professus ad  
 nullam earum; vel in communi, vel in particulari  
 maneret obligatus, sed solum ad statum quem pro-  
 fessus esset, nimirum ad statum religiosum sub obe-  
 dientia summi Pontificis, vel alicuius specialis vica-  
 rii eius in priuato viuendi modo, sine obligatione  
 ad certam regulam, quod non repugnat assertioni  
 positæ, quæ secundum ius ordinarium in Ecclesiâ  
 posita est, quamuis proportione seruata locum ha-  
 beat in quocumque particulari statu religioso.

Et hinc respondendum est ad tertiam obiectionem,  
 circa quam disputari posset, an professus iuste  
 eiectus à religione, omnino maneat separatus, & dis-  
 tinctus à tali religione, ita vt nullo modo censendus  
 sit membrum eius, fortasse enim non ita absconditur,  
 quin aliquo modo maneat sub obedientia eius,  
 quamdiu alteri religioni non vnitur, quod si verum  
 est, cessat obligatio. Quia vero illud est incertum, &  
 infra est disputandum, ideo illo antecedente admis-  
 so, responderetur, non esse similem rationem de as-  
 sumptione status religiosi, & de duratione illius: in-  
 re enim Ecclesiast. eo solum statutum est, vt profes-  
 sio valida non fiat, nisi sub aliqua regula approbata;  
 non est tamen statutum, vt semel professus sub ali-  
 qua regula, semper sub ea retineatur; ita vt nec ex  
 iusta causa præscindi possit. Et ideo non est similis  
 ratio de inceptio, & de duratione. In illo ergo ca-  
 su eiectus ab aliqua religione, reducitur quasi ad sta-  
 tum religiosum vitæ priuata, quia per eiectionem  
 non potuit priuari substantiali statu religioso, quia  
 supponimus illum fuisse assumptum per solennem  
 professionem: solum ergo priuari potuit speciali vnio-  
 ne, & obligatione ad talem religionem, non vero  
 inde mansit obligatus alteri religioni ex approba-  
 tis, nec in particulari, nec in communi, vt per se  
 constat: reducitur ergo ad illum statum vitæ priua-  
 tæ, qui vt diximus, non repugnat & esse, & fieri ex  
 natura rei, licet secundum ius ordinarium Ecclesiæ  
 iam non possit per se fieri, licet illo modo quasi acci-  
 dentario possit tandem aliquis in eum statum inci-  
 dere, seu prouocari.

Vltimo dicendum est, necessarium esse ad valorem  
 professionis, vt forma eius ita sit absoluta, vt non  
 includat conditionem repugnantem substantiæ sta-  
 tus religiosi, ita docent glossa in cap. ult. de condit. appo-

12.

13.

14.

*Affertio  
 vltima, in  
 forma pro-  
 appo-*

festi-  
nia  
non debet  
includi con-  
ditio copu-  
lans sub-  
stantia, sta-  
tus religio-  
si.

app. dir. & ibi Cardin. & Panormit. quos sequitur Sylvest. verb. Religio 3. quaest. 6. 7. & 18. & idem tenet Angel. verb. Professio. & verb. religiosus num. 19. Idem tenet gloss. in cap. monachi, verb. administratorem, de statu monachi. Innocent. Hostiens. & Abb. in cap. infirmo, qui cler. vel vou. Idem Abb. in cap. edoceri, de rescriptis. Deci. num. 5. Turretem. in cap. non dicitis 12. quaest. 1. art. 4. Couar. 4. decret. 2. p. cap. 3. §. 1. num. 18. Azor lib. 12. Inlit. Moral. cap. 5. quaest. 2. Lessius lib. 2. cap. 4. dubit. 7. num. 62. & Emman. Rodr. tom. 3. quaest. regul. quaest. 17. art. 6. Et ratio est clara, quia deficiente substantiali parte vel consensu in illam, non potest contractus, & consequenter nec professio perfici; argumento cap. tuas nos, de sponsal. & quia quocumque substantiali, seu essentiali ablato, res tota destruitur; sed in praedicto casu auferetur aliquid substantiale, & consensus in illud: ergo. Exemplum est, si quis profiteretur sub ea conditione, ut sibi liceat proprium retinere, nam hoc est contra substantiam solennis professionis, iuxta cap. cum ad monasterium, de Regular. & idem est in similibus. Et confirmatur, nam in huiusmodi casu non intendit quis se obligare ad totum id quod est de substantia religionis; ergo neque intendit hoc promittere, imo contrariam intentionem per talem formam & pactum seu conditionem declarat: ergo.

15.  
Opinio con-  
traria pro-  
ponitur, &  
impugna-  
tur.

Contra hanc vero assertionem tenuit glossa in c. solet 32. quaest. 2. in fine, quam sequuntur Innocent. Hostiens. & Ioan. Andr. in dict. cap. vlt. de condit. apposit. & videtur eorum opinio probari ex cap. vlt. qui cler. vel vouent. ubi quaedam mulier in manibus cuiusdam fratris sancti Augustini professsa est, eo adiecto tenore, ut in domo propria eum omni substantia sua remaneret: Et nihilominus illa professio iudicatur valida, & ad illam obseruandam persona illa cogenda esse dicitur. Ratio adiungitur: quia per professionem acquiritur speciale ius in obsequium Dei, cui non debet nocere praui conditio appositae, cum ille qui sic proficitur, voluntatem habeat profitendi. Et in hoc constituunt dicti auctores differentiam inter matrimonium & professionem, quia per matrimonium obligatio fit homini, per professionem Deo, cuius pars semper fauorabilior est. Sed haec ratio nullius momenti est, quia Deus non minus vult consensum liberum & verum in pacto secum inito, quam homo: in eo autem casu non intercedit verus consensus, quia ille vult quandam professionem monstruosam, & impossibilem, & in ipso contractu illam exprimit, & ideo tam ex parte formae, quam ex parte consensus talis professio inualida est: imo licet interior fortasse aliam voluntatem vel intentionem habuerit, ex solo defectu formae talis professio esset inualida, quia ad valorem professionis non sufficit interior consensus, nisi exterior sufficienter exprimat; quia, ut diximus, hic contractus, non fit cum Deo immediatè, sed mediante homine. Ad cap. autem, infirmante, dicitur primo ibi non fuisse appositam conditionem alicuius rei contrariae substantiae religionis, duo enim ibi exprimentur, vnum est, ut liceret in domo propria manere, quod per se non est contra substantiam status religiosi, imò olim non erat praeter usum Ecclesiae, cap. de viduis 27. quaest. 1. ex his quae latius inferius dicemus. Aliud est, ut liceret de sua substantia in eadem domo vivere, quod non est intelligendum retento dominio, & proprietate talium bonorum, sed vsu, & consequenter administratione talium bonorum ex concessione, & licentia praetorum religionis, quae administratio non est contra substantiam professionis religiosae. Et ita exponit illum textum glossa ibi, quam Innocent. Abb. & alii sequuntur. Deinde dicitur illam limita-

tionem non fuisse ibi additam per modum conditionis, à qua penderet valor professionis, & consensus in illa, sed illud fuisse pactum, ut ibi exponit Panormit. sequitur Bartol. quos refert etiam & sequitur Nauarr. comment. 2. de Regular. num. 14. late & bene Couar. proxime citatus.

Sed quaeres an professio facta sub conditione indifferente, seu non contrariae substantiae religiosi status, valida sit. Respondeo conditionem esse posse aut de praeterito, aut de praesenti, aut de futuro: de duabus prioribus non est difficultas, nam quando conditio est de praeterito, si in re ipsa subsistit, consensus & forma transeunt in absoluta; si vero conditio non subsistit, consensus redditur nullus, quia conditionalis sicut veritatem, ita & actum suspendit, & ideo si conditio non existit, consensus redditur nullus; eademque ratio est de conditione de praesenti; quapropter recte dicunt Iurisperiti, conditionem de praeterito & de praesenti non esse proprie conditionem, quia non suspendit actum; conditio autem proprie esse dicitur illa quae actum suspendit, ut ex variis iuribus & Doctoribus notauit Couar. 4. 2. p. c. 3. §. n. 9. Conditio autem de futuro, quae propriissima conditio est, suspendit actum, & consequenter facit ut in praesenti professio non teneat, quia nondum exhibitus est consensus absolutus, seu simpliciter; & ideo si postea non impleatur conditio, manifestum est, professionem nullam esse, quia nullus consensus interuenit, ut per se notum est. Solum ergo inquiri potest, an impleta conditione talis professio incipiat esse valida. In quo in primis certum est, si consensus fuerit reuocatus ante impletam conditionem, non satis esse postea impleta conditionem ut professio valida sit; quia dissensus subsequens illius valorem impedit, ut supra dixi, & estque in simili communis sententia in cap. super eo, de condit. apposit.

16.  
Dubium,  
an professio  
sub condi-  
tione indif-  
ferente sit  
valida.

Difficultas ergo est, quando non reuocatur, an eo ipso quod impletur conditio, incipiat esse valida professio, & esse religiosus qui antea non erat, sine nouo actu voluntatis eius. Videtur enim per solam perseverantiam in priori consensu impleta conditio perfici contractum, & illam expressionem traditionis, quae conditionata fuerat, transire in absolutam: ergo ipso facto ex vi conditionis impleta incipiet ille esse religiosus sine alio actu. Confirmatur primo à simili de voto simplici conditionato: nam impleta conditione, incipit absolute obligare, sine nouo consensu, aut voluntate: ergo idem est de professione, videtur enim esse eadem ratio. Aliud simile de aliis contractibus humanis, ut de donatione sub conditione facta, nam impleta conditione valere incipit absque nouo actu, vel consensu. Vltimum exemplum esse potest de matrimonio contracto per verba de praesenti sub conditione de futuro, nam incipit valere impleta conditione, ut significatur in c. de illis, de condit. apposit. Vbi Iurista communiter hoc tenent, & in cap. super eo, eod. tit. iuncto cap. vlt. quos sequitur Palud. in 4. distinct. 29. quaest. 2. in fin. Soto lect. 3. de matrim. §. 4. Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 8. num. 5.

17.  
Difficul-  
tas, an  
quis  
reuo-  
catus  
postea  
satis sit.

Nihilominus censeo professionem sub conditione de futuro esse nullam, quantum ad proprium vinculum professionis, nisi illa conditio ita sit appositae, ut reducatur ad conditionem de praesenti; ita ut subsequuta conditio non incipiat esse valida, nisi de nouo fiat. Pro hac sententia non referam auctores, quia non inuenio in specie pactum hoc ab eis tractatum; colligo tamen illam ex his quae de matrimonio docet D. Thom. in 4. d. 27. quaest. 2. artic. 2. ad 4. & d. 29. quaest. 1. artic. 1. quaest. 3. Bonauent. in 4. dist. 29. quaest. 3. num. 13. Durand. ibidem quaest. 1. num.

18.

num. 5. & in solut. ad 1. Et Sor. quæst. 2. art. 1. Maior  
 dist. 7. quæst. 4. Adrian. in materia de matrimonio,  
 & bene Couarr. in 4. p. 2. cap. 3. num. 5. Navar. lib. 4.  
 consil. tit. de sponsalibus. consil. 14. num. 7. Gutier.  
 lib. 5. quæst. Canon. cap. 22. num. 21. Hentici. lib. 1. de  
 Matr. cap. 12. Alexand. Pezant. in addition. ad 3. p.  
 quæst. 47. disputat. 3. Qui omnes dicunt matrimo-  
 nium factum sub conditione, etiam per verba de  
 presenti, impleta conditione, non incipere esse ma-  
 trimonium donec replicetur, & explicetur iterum  
 mutuis consensus. Est enim quoad hoc eadem ratio  
 de professione, nec video rationem differentie suf-  
 ficientem, quæ assignari possit. Vna enim sola inter-  
 esse videtur, quæ cum aliqua apparentia ad rem præ-  
 sentem applicari possit, scilicet, quia matrimonium  
 est sacramentum, & non professio. Sed hæc non sa-  
 tisfacit, quia in sacramento matrimonii ex iure diu-  
 no nihil requisitum est ex parte consensus, & signi-  
 ficationis eius ad valorem sacramenti, nisi quod est  
 requisitum ad valorem contractus. Si ergo ex natura  
 rei conditio impleta possit consummare priorem  
 consensum, & significationem exteriorem eius, ita  
 ut statim perficeretur contractus, eadem ratione  
 possit statim perfici sacramentum. Et ideo auctores  
 citati fundantur in propria natura & conditione ta-  
 lis contractus, qui ex illis est, de quibus in regula iu-  
 ris dicitur, actus legitimos non recipere conditio-  
 nem, quia ad hoc institutus est ut statim sortiatur ef-  
 fectum, & ideo non admittit conditionem, quæ il-  
 lum suspendat, nam eo ipso, quod suspenditur, desi-  
 nit esse matrimonium, & est alius modus contra-  
 ctus. Ac proinde consensus in illud non est verus cõ-  
 sensus in matrimonium, neque vnquam esse potest,  
 quantumvis impleatur conditio, & ideo illa imple-  
 ta, ut matrimonium valere incipiat, necessarium est,  
 ut denud fiat: qui discutitur totus locus habet in  
 professione, quia servata proportione consistit in a-  
 ctuali traditione, & ideo de illius substantia est, ut  
 statim sortiatur effectum, ideoque illi repugnat sus-  
 pensio per conditionem appositam; unde consensus  
 tunc datus vera solùm est in aliquid de futuro,  
 non de presenti. quod significavit Virbanus III. in c.  
 super eo, de condit. appositis, dicens, cum huiusmodi  
 consensus non sit de presenti habendus, licet per verba de præ-  
 senti videtur exprimi, qui in alicuius arbitrio non ha-  
 betur, sed habet de consensu. Quæ ratio in quacunque con-  
 ditione de futuro procedit. Ac proinde, quamvis  
 impleatur conditio, non sufficit prior consensus,  
 sed novus requiritur cum nova actuali traditione.  
 Potest hoc etiam confirmari ex consuetudine Ec-  
 clesiæ, quæ est optima legum & institutionum inter-  
 pres: nunquam enim videtur fieri professiones il-  
 lo modo sub conditione, sed solùm promissiones de  
 futuro, de quibus alia est ratio; nam promissio licet  
 inducat obligationem in presenti, respicere potest  
 executionem in futurum, & ideo admittit conditio-  
 nem, quæ non proprie suspendit obligationem pro-  
 missionis, sed executionem operis promissi, & ita  
 potius differt obligationem, quæ dilatio terminatur  
 impleta conditione tanquam in termino præfixo:  
 at vero professio requirit actualem executionem per  
 traditionem de presenti, & ideo non admittit sus-  
 pensionem per conditionem de futuro oportet ergo  
 quæ absolutum consensum exprimat. Et ita facile  
 expeditur coniecturæ in contrarium factæ.  
 Quæritur vero aliquis, an talis professio sub condi-  
 tione facta aliquem effectum, vel obligationem in-  
 ducat. Respondeo, ut consequenter loquamur, ita  
 in hoc, sicut in matrimonio censendum esse. Do-  
 ctorem autem D. Thom. & auctores citati matrimo-  
 nium sub conditione factum æquivalere sponsali  
 Et Sicut de futuro l. g. tom. 3.

bus de futuro quoad vim obligandi ad contrahen-  
 dum matrimonium impleta conditione, iuxta cap.  
 super eo, de condit. app. libi, Nisi volunt a patre postmo-  
 dum intercedas, nequequam cogendus est ad matrimonium  
 contrahendum: ergo si voluntas patris intercessisset  
 (hæc enim erat conditio appositæ) ad matrimonium  
 contrahendum cogendus fuisset. ergo ex priori  
 contractu conditionato mansit ad hoc obligatus, a-  
 liis iuste cogi non posset. Ergo idem in presenti di-  
 cendum est de professione, quia illa obligatio in  
 matrimonio non oritur ex peculiari conditione ei-  
 us, sed ex natura talis contractus, qui licet videat-  
 ur fieri, per verba de presenti, ratione materiae, &  
 conditionis adiunctæ, resolutur, & contractus de  
 futuro, & quia ad hoc intercedit consensus suffi-  
 ciens, ideo inducit obligationem de futuro. Impleta  
 ergo conditione tenebitur, qui sic professus est ad  
 profitendum, & ad id cogi poterit, si de priori profes-  
 sione sufficienter constiterit.

Hoc autem maxime procedit, quando professio  
 conditionata fit in manibus eius qui potestatem ha-  
 bet admittendi ad professionem. An vero idem di-  
 cendum sit in casu supra tractato, quando professio  
 fit in manibus eius, qui non habet potestatem, sub  
 conditione, si superior consenserit, & quia mul-  
 tum abicitur potestate, quam non habet, etiam si id  
 faciat sub rati habitatione, quia hic actus requirit po-  
 testatem habitam, non habendam. In contractum  
 verò est, quia cum hic contractus resoluatur in ob-  
 ligationem de futuro, per adiectam conditionem vi-  
 detur purgari omne vitium. Nam si expresse diceret:  
 Promitto profiteri in manibus tuis, si prælatus inas-  
 vices sibi commiserit; videtur promissio valida, &  
 impleta conditione obligabitur quis profiteri; sed  
 in hunc sensum reducitur alius contractus: ergo licet  
 in modo excedatur, eadem obligatio inducitur.  
 Atque hæc pars, omnibus pensatis, probabilior vi-  
 detur, quamvis opposita non sine probabilitate  
 possit disputando defendi, propter magnum abu-  
 lum illius professionis inutilitatum in Ecclesia, & val-  
 de repugnantem intentioni prælatorum, à quibus  
 talis conditio pendet. Et iuvare possunt, quæ in si-  
 mili de matrimonio supra tractat Couarr. n. 7. & 8.  
 & infra agentes de professione in valida, aliqua ad-  
 demus.

Atque ex his expediti potest incidens dubium,  
 scilicet an professio fieri possit per procuratorem:  
 nam ex dictis videtur sequi, non posse, quia consen-  
 sus per procuratorem datus videtur resolvi in con-  
 ditionatum, quando potestas procuratori commit-  
 titur; & ideo quamvis per procuratorem fiat pro-  
 fessio, non videtur valida, donec ipse religiosus ite-  
 rum absolute consentiat, & factum confirmet, quia  
 antea solùm videtur impleta conditio, quod non  
 satis est, ut professio valida esse incipiat, ut diximus.  
 Nihilominus dicendum est professionem fieri posse  
 per procuratorem. ita docuit Sylvest. verb. rel gio 3.  
 quæst. 15. Angel. verb. R. religiosus Rosella, verbo Nou-  
 rum, num. 23. Armilla num. 14. Azor tom. 1. lib. 12. cap.  
 5. q. 5. Sæ verbo Rel gio, n. 14. Miranda in Manual tom.  
 1. quæst. 14. artic. 1. concl. 2. Et id tanquam certum  
 supponit Navar. consil. 32. de Regular. quod inci-  
 pit, N. f. vbi tractans de professione facta per pro-  
 curatorem ad id specialiter deputatum, quæ ex aliis  
 capitibus videbatur dubia, ex illo tanquam certum  
 supponit, fuisse validam. Ratio est, quia omnis con-  
 tractus fieri potest per procuratorem, si non sit lege  
 prohibitus; iuxta l. 1. §. vnus ff. de Procuratoribus &  
 regula

21.

22.

Dub. nm. an profes-  
sio per pro-  
curatorem  
sit valida.



regula 68. de reg. iuris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*: Sed professio perficitur per modum cuiusdam contractus, qui nullo iure à prædicta regula excipitur; unde glossa super regula plures exceptiones adhibens, huius non meminit, quod etiam videre licet in glossa in cap. *Quid agendum*, de Procuratorib. in 6. Item matrimonium fieri potest per procuratorem cap. vlt. de Procurat. in 6. ergo & professio, quid enim magis obstat? Quocirca circa modum sic profitendi seruanda ferè sunt, quæ circa modum sic contrahendi matrimonium communiter traduntur; & in dict. cap. vlt. significatur, ex quibus illud maximè essenziale est, vt scilicet consensus non sit reuocatus ante usum procurationis, quia postea iam deficeret consensus, vt in dict. cap. expresse dicitur, & est per se manifestum, & deo non esset valida professio. Deinde oportet vt procurator sit ad hoc munus specialiter deputatus, id est, ad professionem nomine alterius emitenda, & in tali religione, aut monasterio, quod insinuat Nauarr. supra. & à simili potest colligi ex dict. ca. vlt. Verum est argumentum à simili non esse in hac materia multum efficax, si conditio illa non sit iure naturæ necessaria, sed ex speciali iure positiuo, & fortasse ob hanc causam Syluest. nullam facit mentionem huius specialis conditionis.

*Dua requiruntur conditiones*

23. *Resolutio.*

Nihilominus multo securius est illam seruare, & videtur satis probabile ex natura rei esse necessariam moraliter loquendo, quia emitte professioem, est actio ad eod. specialis, & difficilis, vt moraliter comprehendi non possit sub clausula generali: oportet ergo vt mandatum procuratori datum expresse sit ad professionem emitendam, & consequenter etiam ad determinatum locum, seu religionem, quia deliberatio circa religionem, & voluntas profitendi ad determinatam religionem haberi, & terminari debet. Quamuis autem moraliter hoc ita sit, si in rigore rem speculemur, non video, si mandatum daretur ad profitendum cum expressa indifferentia, & optione vt procurator eligeret religionem, cur in rigore non sufficiat, cum ex natura rei nihil impediat, & nullo iure prohibitum inueniatur. Hinc etiam videtur fieri consequens professionem posse fieri per literas, nam alii contractus etiam matrimonium, possunt hoc modo perfici. Neque hic occurrit aliquid speciale præter ea, quæ in simili de matrimonio tractari solent. Solum aduerto vt considerentur specialia iura religionum, & obseruentur alia solemnitates, vel circumstantiæ, quæ in vnaquaque tanquam essentielles declarata fuerint; unde si aliqua huiusmodi essent impossibiles cum illo modo profitendi in absentia, non haberet locum in tali religione, ordinarie tamen nullæ videntur esse huiusmodi circumstantiæ.

*Professio vaide fieri potest per literas.*

24. *Ultima difficultas est circa habitum, vel locum.*

Vltimò inquit potest vrùm habitus, vel locus pertineat ad necessariam formam professionis, & consequenter an professio fœminæ in religione seu in monasterio virorum, vel è conuerso, valida sit. In qua re certa, & communis resolutio est, suspensionem habitus, aut ingressum in monasterium, aut quod professio intra religionem, vel in Ecclesia fiat, non esse de substantia, & valore professionis, ita docent omnes Doctores, & est satis expressum in cap. *insinuante*, qui cler. vel vou. & sumitur ex cap. *porrectum*, & aliis, de regular. Et ratio reddi potest, quia hæ circumstantiæ sunt valde extrinsecæ, & ideo nulla fuit ratio, cur tanquam essentielles designarentur. Hinc verò inferunt aliqui Doctores professionem à fœmina factam in religione virorum validam esse, per eam tamen non obligari ad habitandum cum illis, sed ad seruandam religionem in domo sua, vel in alio conuenienti loco, ita Panor.

mit. in dict. cap. *insinuante*, Angel. verbo *professio*, n. 3. Syluest. Religio 3. quaest. 9. qui hoc colligunt ex dict. cap. *insinuante*. Sed quamuis fortasse quaestio pertineat ad modum loquendi, non existimo proprie dictum, fœminam posse valde profiteri in religione virorum, & è conuerso; & ita communiter sentiunt Doctores, qui de hoc dubio disputant, Nauarr. lib. 1. consil. titulo de ætate, & qualitate, consil. 8. num. 10. & lib. 3. tit. de regular. consil. 47. num. 1. Henrici lib. 14. de irregul. cap. 8. num. 6. in Comment. lit. A. Sæ verb. *Religio* num. 30. & alii. Neque oppositum colligitur ex dict. cap. *insinuante*, nam ibi solùm dicitur fœminam vouisse in manibus fratris sancti Augustini, & postea habitum illius religionis gestasse, habitum scilicet ad fœminas pertinentem. Unde non sequitur fœminam vouisse professam fuisse religionem virorum, sed religionem; cuius regula pro viris, & fœminis approbata est, & in qua viri præstant fœminis, ideo que fœminæ in prælati manibus profiteri debent.

Proprie ergo professio fœminæ non potest esse in religione virorum, sed ad summum in religione suo modo vtriusque communi, & in ea parte, quæ ad fœminas pertinet, & seruato decenti modo. Cùm enim professio fieri non possit nisi in religione approbata, aut approbata est pro solis viris, vt est, v. g. Societatis, & sic nullo modo poterit professio fœminæ in tali religione valida esse, etiam si in domo propria, vel quacunque alia ratione fiat, nisi fortasse ex speciali concessione Pontificis, quia facultas admittendi ad professionem vltra approbationem non extenditur. Et eadem proportione, vel maiori ratione, si religio approbata sit pro solis fœminis, non poterit professio viri in ea esse valida; at si religio completatur suo modo viros, & fœminas, & pro vtriusque partitione accommodata approbata sit, poterunt quidem in illa recipi & viri, & fœminæ, sed non propterea proficitur fœmina religionem virorum, nec quatenus virorum est, sed religionem communem, quatenus ad fœminas accommodata, & approbata est.

CAPIT. XIII.

*Quos effectus habeat valida professio expressa.*

Hactenus explicauimus omnes causas professionis, & consequenter conditiones omnes necessarias, vt valida, & expressa sit. Nunc dicendum est de effectibus, quod amplissimam nobis possit præstare materiam, si omnia illa, quæ ex professione religiosa consequuntur, numerate velimus; nam vera illa omnia possunt inter effectus professionis computari: sed quia in discussis materiæ illa omnia explicanda sunt, ideo in præsentem solum est breuiter notandum in professione duo includi, scilicet traditionem; & vota, & ex vtroque proprii effectus oriuntur. Ex voto enim castitatis sequitur inhabilitas ad matrimonium, & irritatio matrimonii rati, & non consummati, si præcessit; & ita hi possunt inter effectus professionis computari; tamen quia specialiter annexi sunt voto castitatis, ideo melius de illis dicemus infra de voto castitatis solemnii religionis in speciali disputando. Atque idem dicendum est de aliis effectibus annexis professioni ratione voti paupertatis, vt est inhabilitas ad habendum proprium, translatio omnis iuris proprii in religionem, &c. Idemque est de effectibus, qui consequuntur ratione voti obedientiæ, si qui fortasse sunt præter obligationem parendi prælato, quos postea inquiremus.

Eodem modo intelligere possumus aliquos effectus sequi ex professione ratione traditionis. Quos primus